1665
12 Sept,
Bourdaille
(michel)

35. Piece

EXTRACTVM

EX REGISTRIS SACRÆ FACVLTATIS *Theologiæ Pariſienſis.*

APOSTOLICÆ doctrinæ depoſitum ita Theologis cuſtodiendum eſſe, vt ne quid detrahant vel adjiciant, Sacra Theologiæ Facultas Pariſienſis, & à majoribus accepit, & pro ſua parte próque ſui muneris & officii ratione, ſtudiosè ſemper diligentérque retinuit. Cùm ergo primâ die Iulii de ſeptima appendice Theſis Minoris Ordinariæ M. Michaëlis Bourdaille, quidam è SS. MM. NN. expoſtulationem habuiſſent; cúmque de eadem Theſi déque expoſtulatione honorandus M. N. Antonius de Breda ejuſdem Facultatis Doctor & Syndicus primâ die Auguſti in ſolenni congregatione pro more retuliſſet, eadem Sacra Facultas, cui id imprimis cordi eſt, vt quotquot ei ſeſe inſtituendos tradiderunt, antiquæ doctri-

næ conſtanter hæreant, déque veteri piſcinâ ac de fontibus Iſraël, puras aquas bibant, dictam appendicem memoratæ theſis decem ſelectis Doctoribus examinandam demandavit. Hujus autem appendicis tenor ſequitur.

Indubitatâ fide credendum eſt peccata venialia & graviorum criminum reliquias poſt mortem expiari, plurimúmque ſpiritus defunctorum noſtris juvari ſuffragiis; cætera quæ de Purgatorio diſputantur non perinde certa ſunt: locum ego nullum quæro, quippe nullo opus eſt animis mole carentibus: quales pœnæ ſint, ignis uſtulantis, an caliginis & turbinis, nemini certum eſſe poteſt, imò ſintne ullæ omnino pœnæ ſenſus, ante diem Domini, non eſt admodum certum: auſi ſunt quidam Theologi pœnis illis terminum figere, ſed unde & quibus id aſſequuntur conjecturis? certè ante extremam mundi conflagrationem finem habituras, non evincunt Machabæorum & Pauli loca; gloriæ quæ differtur vehementius deſiderium, mirum in modum cruciat, ſed nihil ad damnatorum deſperationem; qui purgantur neque peccare neque mereri poſſe, mihi certum eſt, neque videtur ambigendum quin ſecuri gloriæ præſtolentur.

Cùm autem dicti Doctores à Facultate deputati multas ea de re privatas inter ſe congregationes habuiſſent, tandem die primâ menſis Septembris, poſt miſſam de Spiritu ſancto ritu

ſolenni factam, in Comitiis ordinariis in aula majori Collegii Sorbonæ habitis, hunc prædictæ appendicis ſenſum ad Facultatem retulerunt.

VERBA THESIS.

Cætera quæ de Purgatorio diſputantur non perinde certa ſunt.

SENSVS EST.

Cætera quæ in hac appendice de Purgatorio diſputantur, non ſunt certa certitudine fidei, neque expreſsè ab Eccleſia definita, ſicut duæ primæ poſitiones dictæ appendicis.

VERBA THESIS.

Locum ego nullum quæro, quippe nullo opus eſt animis mole carentibus.

SENSVS EST.

Non inquiro in qua parte vniverſi ſitus ſit locus Purgatorii, neque enim vllo opus eſt loco determinato, aut etiam phyſico & circumſcriptivo, in quo animæ torqueantur.

VERBA THESIS.

Quales pœnæ ſint ignis vſtulantis, an caliginis & turbinis, nemini certum eſſe poteſt.

SENSVS EST.

Nihil ea de re in Eccleſia definitum.

VERBA THESIS.

Imò ſintne vllæ omnino pœnæ ſenſus ante diem Domini, non eſt admodum certum.

SENSVS EST.

Non eſt admodum certum an ſint vllæ omnino pœnæ inflictæ ab agente corporeo, nam ſitne tale agens corporeum in Purgatorio torquens phyſicè, non conſtat. Quidquid ſit de iis qui vivi ſupererunt die vltimæ conflagrationis, quos per ignem corporeum purgandos plerique Theologi cenſent. Porrò dolores & cruciatus aliunde provenientes, in theſi non negantur.

VERBA THESIS.

Auſi ſunt quidam Theologi pœnis illis terminum figere; ſed vnde & quibus id aſſequuntur conjecturis?

SENSVS EST.

Id tantùm dicitur contra Dominicum Sotum, & paucos alios recentiores, qui certum annorum numerum pœnis in Purgatorio luendis figunt.

VERBA THESIS.

Certè ante extremam mundi conflagrationem finem habituras non evincunt Machabæorum & Pauli loca.

SENSVS EST.

Non demonſtratur præcisè ex illis locis. Cæterùm aliunde ſufficienter probari, theſis non negat.

Quæ cùm perlecta eſſent, præfati Deputati

inſuper addiderunt: ſe quidem in verbis prædictæ Theſeos ita explicatis nihil invenire quod ſanæ doctrinæ repugnaret; verùm vt omnis ſcrupulus eximeretur, æquum exiſtimaſſe, vt prædictus Magiſter Michaël Bourdaille audiretur, mentémque ſuam ac totam rationem tuendæ theſeos coram Deputatis exponeret. Quod vt reſcivit S. M. N. Porcher ſtudiorum ejus moderator, ſtatim procuraſſe vt ad dictos Deputatos memoratus Magiſter Bourdaille interrogandus accederet; cúmque ingreſſus eſſet, rogatum ab iiſdem de ſingulis ſuis poſitionibus antedictis, ita reſpondiſſe, vt ejus reſponſa dictæ explicationi in omnibus conſentirent; atque vltrò addidiſſe: Non dubitare ſe «
quin ſit locus Purgatorii in quo animæ deten- «
tæ crucientur; Quantum verò ad pœnas ſen- «
ſus, tametſi dixerit, ſintne vllæ omnino ante «
diem Domini non eſſe admodum certum, id «
reverâ de iis tantùm pœnis intellexiſſe, quæ ſint «
inflictæ ab agente corporeo; cæterùm non ne- «
gare, imò nec dubitare quin juxta probatiſſi- «
mam receptiſſimámque ſententiam quædam «
pœnæ agnoſcendæ ſint aliunde provenientes «
quàm ex carentiâ viſionis beatificæ; quo etiam «
modo plures Theologi pœnas ſenſus ſumunt: «
Certò credere ſe fidelium animas in Purgato- «
rio detentas Eccleſiæ precibus ac ſacrificiis ju- «

„ vari vt citiùs liberentur, eáſque ſtatim à pur-
„ gatione ſua, etiam ante diem Domini, Dei vi-
„ ſione fruituras. Quam quidem declarationem ſuam, ac præfatam explicationem à prædicto Magiſtro Michaële Bourdaille manu propriâ ſubſcriptam, iidem Deputati in medium protulerunt.

His verò auditis atque perlectis, réque à venerando D. Decano in deliberationem adductâ, & momentis omnibus per multas congregationes generales magnâ Doctorum frequentiâ pro rei gravitate perpenſis, eadem Sacra Theologiæ Facultas antedictam appendicem, juxta memoratam explicationem ac declarationem, ab omni cenſura immunem eſſe cenſuit & concluſit.

Actum in Sorbona die decimâ menſis Septembris, & confirmatum die duodecimâ ejuſdem menſis, anno Domini M. DC. LXV.

Ex mandato D.D. Decani & Magiſtrorum Sacræ Facultatis Theol. Pariſ.
PH. BOVVOT Major Apparitor.

Case
Wing
folio
Z
144
.A1
V. 2
no. 20

THE NEWBERRY LIBRARY